



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Ratio concionandi Canisij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

plis, reuerentia spectanda, versari: diuina octaua quoque die instaurare mysteria: ante omnia disciplina domestica sanctissime, & pacatissime regere. Quibus institutis breui non modo tota Augusta celebrari coepta, verum etiam apud suam coniugem Marcum, & caritatem maximopere auxit, & venerationem; raraeque virtutis opinionem adeptus est. Ineunte anno seculi eius primo & sexagesimo ab Hæresi conuersa est; moxque alij atque alij consequuti viri femineque; quod multorum retro annorum memoria nunquam exnerat. Quo in numero cum haud plebei solum sed & nobiles ac prædiuites minimè pauci spectarentur, scilicet ex horum splendore causæ quæ religionis splendor, & auctoritas accedebat.

Reflorescit Augusta religio.

Ad hæc pariter cum viua Ecclesia renouabatur etiam sacra templa, & ornabantur restituta quæ impius Iconoclastarum eripuerat furor, victricibus venerandæ Crucis trophæis, & aliis religionis insignibus. Diuinissimo quoque Eucharistiæ Sacramento religiosus, ac nobilis apparatus additus erat: denique noua passim rerum facies Augustam visentibus occurrebat. Egit sacer interpretibus multis de verbo Dei, quo vno

Ratio conuersionis Canisij.

maxi-

maximè per temerariam iactationem gloriari solent Hæretici. Diu quoque de supremo disputauit iudicio, quam ad perfundenda salutari timore mortalium corda potentem materiam comperit. Malebat enim Diui Chrysoftomi exemplo, & ad persuasionem, effectumque accommodatius existimabat, hærare diu in vna aliqua tractatione loco opportuna, diuq; idem quasi ferrum tundere, quàm varietate fortasse iucunda auditoribus, sed non perinde grata, serere multa, nihil perducere ad maturitatem. Illud ex disputationibus prioribus factum est, Deo iuuante, vt Hæretici ipsi multum ambigerent, esset ne Dei verbū, quod adhuc ex adulterina Lutheri interpretatione, impudenterq; corruptis sacris codicibus hauserant: ex posterioribus autem morum insignis emendatio in omni hominum genere cōsequuta. Itaque superstitionis insanæ Magistris magnū erat negotium, vt in sua continerent disciplina, quos per fraudes antè circumscripserant, cū fraudes ipsę in apertum prolatae sub oculos omnium subiicerentur. Fuit qui palam in circulo vnum è Prædicantium turba ita perstringeret, Canisius sanè cogit vos studere, & virgis expellit. Ipsi verò

*Hæreticorum
Ministri fa-
tentur eius
præstantiam.*

Z

id